Vindicandum censeo, in eos, qui tam misere lacerant Rempubl. non man-
neque vi; quod magis vos facere, quam illis accidere, indignum est.
Verum quaestionibus ex indiciis paucorum illorum potentiorum, qui
micam adhuc aliquam bonitatis habeat, profecto lucris suis ingressi in-
abstinebunt; sin minus, crudelius grassabuntur, vobisque hanc pacis
causam insurgendi adversus eos tanquam apertos hostes patriae suppeditabunt.
Inde facile aestimabitis, quales pauci illi potentiores, qui nostram occupa-
runt rempubl. futuri sint, an ad frugem redituri, an vero pejores
evasuri. Vos interim cogitate, qualis illa dominatio sit, quae ad flagitio-
sissimos omnium bipedum impunitas, ad paucos potentes maximae divitiae,
ad rempubl. damna, atque dedecora perveniunt! Habetis, quid facien-
dum heic censeam, nisi forte nondum nos iniquorum dominatio satietas teneat, vobisque magis
haec placeant tempora, quibus leges, jura, judicia, postremo divina
et humana omnia penes paucos sunt; nos autem libertati tanquam
lusciniae assueti satis habeamus retinere animam. Nam servitutem
quidem quis vestrum recusare hactenus est ausus? At ego tametsi benescio, viros
flagitiosissimos aliquando impune injuriam accepisse, tamen vos ne-
quissimis Tyrannis hodie ignoscere, quoniam nostri Domini sunt, aegro
animo paterer, nisi misericordia haec extremam Reipubl. nostrae perniciem
esset evasura. Illis namque, quantum inopportunitatis habent, parum
est impune male facere, nisi deinde faciundi licentia eripiatur: Et
sane nobis aeterna sollicitudo remanebit, cum intelligemus aut
serviendum esse, aut per manus libertatem retinendam. Nam
Fidei quidem, aut concordiae, quae spes est? dominari illi volunt,
nos liberi esse: facere illi injurias, nos prohibere: postremo nobis
veluti abjectissimis servis utuntur. Potestne in tam diversis mentibus
pax, aut amicitia esse? Quare moneo hortorque vos, ne tantam
dominandi licentiam impunitam omittatis. Non peculatus
aerarii factus est, neque per vim nobis ereptae sunt pecuniae: quae
quanquam gravia sunt, tamen consuetudine jam pro nihilo habentur;
paucis potentioribus vendita est nostra libertas, sanguis noster venalis
est. quam injuriam nisi vindicemus, ac adeoque nosmet ipsos in liber-
tatem tandem omni ope asseramus, quid erit reliquum, nisi ut illis,
qui ea faciunt, in omnibus rebus ad nutum obedientes vivamus!
nam impune quaelibet facere, id est regem esse. Neque ego
Vos, Cives patriae, hortor, ut jam malitis nonnullos perperam, quam
recte facere, sed ne, ignoscendo paucis malis, bonos omnes perditum
eatis. Adhoc in republ. multo praestat beneficii quam male-
ficii, immemorem esse. Bonus tantummodo segnior fit, ubi
negligas, at malus improbior. Adhoc, si injuriae non sint, haud
saepe auxilii egeamus.

D I X I.

Johannes Melchior Heuschkel
Freibergensis Misnicus.

SLUB Wir führen Wissen.
GÖRLITZER SAMMLUNGEN OBERLAUSITZISCHE BIBLIOTHEK
Uniwersytet Wrocławski